



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt loca semel dicata, perpetuò sic permanenat. xv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*Si Ecclesia violata fuerit, iterum consecretur.*

Caput XII.

**S**I homicidio vel adulterio Ecclesia fuerit violata, diligētissimè expurgetur, & denuò consecretur.

Ex eodē, cap. 6.

*Ut Ecclesiam vbi paganus sepultus est, non liceat dedicari.*

Cap. XIII.

**E**cclesiam vbi paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare, sed iactari foras & mundari oportet.

Ex cōcil. Aureliano, ca. 7.

*Ut in Ecclesia in qua cadauera sepulta sunt, altare consecrare non liceat.*

Cap. XIII.

**I**N Ecclesia in qua cadauera mortuorum sepeliuntur, sanctificare altare non liceat. Si autem consecratum prius fuit, Missas licet celebrare in ea.

Ex eodē cap. 6.

*Ut loca semel dedicata, perpetuò sic permaneant.*

Caput XV.

**V**T loca que semel Deo dedicata sunt, aut monasteria fuerint, maneat perpetuò sic, nec possunt ultra fieri secularia habitacula.

Ex cōcil. apud Aquisgrā, cap. 4.

*De locis dudum sacratis, & nunc neglectis, ut iterum reformentur.*

Cap. XVI.

**P**lacuit ut loca iam dudum consecrata, & nunc spurcitiis foedata, iuxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

Ex eodē cap. 6.

*Ut nullus aliud altare erigere presumat, nisi quod ab episcopo consecratum est.*

Cap. XVII.

**V**T nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab episcopo loci vel eius permissu sanctificatum est: ut sit discretio inter sacratum & non sacratum, nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur, si laicus, anathematizetur.

Ex dere. Hormisd. da pap. cap. 10.

*Ut energumeni Ecclesiarum pavimenta verrant.*

Caput XVIII.

**P**avimenta domorum Dei energumeni verrant.

Ex cōcil. Carth.

*De monasteriis semel consecratis.*

Cap. XIX.

cap. 91.

**Q**uæ semel dedicata sunt sunt monasteria consilio episcoporum qui ciuitates tenent, manere perpetuò monasteria, & res quæ ad ea pertinent, monasteriis reseruari debere, nec posse ea ultra fieri secularia habitacula.

Ex cōcil. Calcedo. cap. 24.